

MUS IAC. CUIACIUM (d), PETR. FABRUM (e), ANTON. SCHVLTINGIVM (f), EVER. OTTONEM (g) & nuperime IO. DAN. RITTERVM (b). Sed, vt fieri assolet, nec defuerunt, qui hanc lectionem, tanquam adulterinam omnique ratione destitutam e possessione sua deicerent, contra vero beneficio quasi praetoris in integrum restituerent & e tenebris reuocarent antiquam illam dudum explosam & paene oblitteratam, quae huius est tenoris: *statuiturque, vt ignaro domino ad id prolapsae in seruitutem consensissent, & qui nati essent pro libertis haberentur.* Ex horum numero sunt, non minoris famae & eruditionis viri, IAC. GOTHOFREDVS (i), PAGAN. GAUDENTIVS (k), VINCENT. GRAVINA (l), PETRVS BVRGIVS (m) & in primis GEORG. ARNALDVS (n), cuius quidem doctissimi Jurisconsulti hac de re obseruationes cum legerem, ingenii acumine & mira eruditionis copia captus, non dubitavi in sententiam eius transire. Postea vero sedato fervore, vbi diuersa sentientes euoluere dabatur, tum quidem quasi inter duas acies constitutus, incertus cuius me tiro castris iungerem, hac illac enim parte

*Attollunt capita & sublimi vertice nutant,
diu anceps haesi, &
Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem;*

tandem

(d) *Observatt.* XXI, 16.
(e) *Semestr.* I, 25. quae tamen inspiciendi facultas non data est.
(f) ad PAVILLI *Sentent.* L. II, tit. 21, §. 1.
(g) in *Comment.* ad d. §. 1. I. de *sucess. sublat.*
(b) ad HEINECCI *Hist. Iur.* §. CCXVII.

(i) ad L. 1. C. *Tb. ad SCtum Claud.* (IV. 9.)
(k) *Iurid. Exposit.* Lib. I. cap. 11. apud OTTON. in *Thes.* Tom. III.
(l) *Orig. Iur. Civ.* Lib. III. cap. 31.
(m) *Elect.* cap. 8. in OTTON. *Thes.* T. I.
(n) *Coniectur.* Lib. I. c. 20.